



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis  
Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev  
De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

Hrabani Mavri Liber De Reverentia Filiorvm erga patres & subditorum erga  
Reges. Opvcvlvm Hrabani Mavri ad Hludouvicum Imperatorem in XII.  
capitulis comprehensum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15591**

*Rom. 13.*  
cato; sed exhibete vos Deo tanquam ex mortuis  
viventes, & membra vestra arma iustitiae Deo.  
*Rom. 14.*  
Et iterum: Carnis, inquit, curam ne feceritis  
in desideriis. Et rursum: Non ergo amplius in-  
vicem judicemus; sed hoc iudicate magis, ne  
ponatis offendiculum fratri vel scandalum. Et  
*Rom. 15.*  
item: Debemus autem nos firmiores imbecillita-  
tes infirmorum sustinere, & non nobis placere.  
Vnuquisque vestrum proximo suo placeat ad  
edificationem.

Si autem secundum hujusmodi doctrinam  
conformemus nos exemplis obedientia, humiliatis,  
& mansuetudinis Christi, considerantes singuli non quod nobis sed quod  
aliis utile est, nec cupiditatibus istius mundi  
atque inlecebris voluptatum operam da-  
mus, nulla erit inter nos contentio de subli-  
mitate honoris & inani jactantia terrena  
potestatis, nec conflictus nequam de qua-  
stu nefando praesentis seculi; sed erit firma  
pax & concordia inter nos, exercereturque  
unanimiter cultus pietatis, & religio sancta  
& immaculata coram Deo & salvatore no-  
stro sine reprehensione custoditur. Et ita  
omnia membra corporis Christi erunt in  
pace, exspectantes supernam gloriam in re-  
velatione Domini nostri Iesu Christi, quem  
cum non videmus, diligimus, in quem nunc

quoque non videntes credimus, & exultan-  
do speramus quod in adventu ejus percipia-  
mus finem fidei nostrae salutem animarum  
nostrarum.

Igitur quia ordo præteritæ narrationis  
veltra & responsionis parvitatis nostræ hoc  
exigebat ut contra tam ineptum conflictum  
Sacerdotum atque scandalum plebis aliqua  
de scripturis sacris atque orthodoxorum pa-  
trum sententiis excerpemus, qua ostende-  
rent ac declarando manifestarent quod ser-  
vos Christi non oportet litigare, sed man-  
suetos esse ad omnes, dociles, & patien-  
tes, fecimus quod agendum esse censuimus,  
& in brevi libello haec omnia comprehen-  
dentes, sanctitatem vestram dirigere curavimus;  
perentes ut si dignum ducatis hunc relege-  
re, ea qua ibi rectè posita sint vestra auto-  
ritate confirmetis; si qua autem reprehen-  
sione ibi digna videantur, ignorantem ve-  
stra prudentia instruatis; quatinus labor no-  
ster per omnia non inanis fiat, & studium  
doctrinæ vestra multiplice mercede ab om-  
nium bonorum datore remuneretur.

Sanctitatem vestram omnipotentis Dei  
gratia in æternum conservare dignetur, ve-  
nerande Præful, memorē nostri.

## HRABANI MAVRI LIBER DE REVERENTIA FILIORVM erga patres & subditorum erga Reges.

*OPVS CVLVM HRABA NI M AVRI  
ad Hludouvicum Imperatorem in XII. capitulis  
comprehensum.*



- I.* E honore parentum & subje-  
tione filiorum.  
*II.* De his qui parentes suos  
vel maiores contempnendo dis-  
piciunt.  
*III.* Quod regie dignita-  
ti honor sit & obedientia ab omnibus deferenda,  
contumacia autem superborum disciplina coer-  
cenda.  
*IV.* Quod non liceat filii parentes suos de-  
tentur, & tamen ab aliis manifestè argui non pos-  
sunt, nullo modo sunt judicandi atque dam-  
nandi.
- V.* Quod malum avaritiae & cupiditatis maxi-  
mè detestandum sit.  
*VI.* De justis iudiciis in omnibus rebus & per-  
sonis observandis.  
*VII.* Quod omnino de temerariis iudicis ab-  
stinendum sit.  
*VIII.* De amministratoribus secularium ja-  
diorum quid sentiendum sit.  
*IX.* Quod illi qui se peccatores generaliter fa-  
tientur, & tamen ab aliis manifestè argui non pos-  
sunt, nullo modo sunt judicandi atque dam-  
nandi.

X. Quod falsa justificatio nihil proicit, sed perfectam veniam tribuat.  
maxime obicit abutentibus ea.

XI. Quod pietas divina veraciter conversis quentum.  
& de prateritis peccatis paenitendum agentibus

XII. Exhortatio ad indulgentiam delin-

Hos quoque bisbenos fixit tibi, Cæsar amate,  
In scripto titulos, quos relegens tenebas.  
Illi repperies divine dogmata legis,  
Que bona commendant, quæve mala reprobant.  
Injustitiae palmarum tribuunt, hanc laude coronant,  
Serpentes pellunt ac scelus omne procul.  
Mentem humilem acceptant, deserstantque superbam.  
Fas piè commendant, prociuntque nefas.  
Iura superna docent patribus se subdere proles,  
Non vinci à pravo, vincere sèque bono.  
Victor Rex Christus faciat te viacere mundum,  
Æterne & pacis dona tibi tribuat.

De honore parentum & subjectione filiorum.

### C A P U T I.

**Q**VAM placita fuerit omnipotenti Deo honorificatio parentum & subiectio filiorum, ipse qui primùm nasci fecit ex patribus filios, postmodum legis editio naturæ jus hominibus ostendens confirmavit, ut hoc cogantur divino facere imperio quod debuit pietas suggestere affectu. Nam in Exodo, ubi Dominus decalogum legis populo suo tenendum edidit, post tria mandata quæ de sua cultura primum protulit, mox de humanæ societatis feedere subjunxit, dicens: Honora patrem tuum & matrem, ut sis longeius super terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi. In Levitico quoque idem Dominus ita præcepit: Non facias, inquit, calumniam proximo tuo, nec vi opprimas eum. Qui maledixerit patri suo vel mari, morre moriatur. Patri matrique qui maledixerit, sanguis ejus sit super eum. Item ipse in Deuteronomio sic ait: Si generitur homo filium contumacem & protervum, qui non audiat patris aut matris imperium, & coercitus obedire contempserit, adprehendent eum, & adducent ad seniores civitatis illius & ad portam judicij, dicentque ad eos: Filius noster iste protervus & contumax est, monita nostra audire contempsit, comeffationibus vacat & luxurie atque conviviis. Lapidibus eum obruet populus civitatis, & morietur. Et auferatis malum de medio vestri, & universus Israël audiens perimecat. Item in eodem libro, ubi de maledictionibus contra peccantes pronuntiadis per Levitas præceptum est, ita legitur: Maledictus qui non honorat patrem suum & matrem. Et dicit omnis populus: Amen. In Proverbiis quoque Salomon ita ait: Audi, fili mi, disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tue. Stultus inridet patris sui disci-

plinam. Qui autem custodit increpationes, astutior fiet. Qui affligit patrem & matrem, ignominiosus est & infelix. Et alibi: Qui maledicit, Prov. 20:1 inquit, patri vel matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris, et quoniam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit. Et in alio loco: Vir fidelis multum laudabitur. Prov. 12:1 Qui autem festinat ditari, non erit innocens. Et paulò post: Qui subtrahit aliquid de patre suo vel matre, & dicit, Hoc non est peccatum, particeps homicide est. Oculum qui subfannat patrem, & qui despicit partum matris sue, effundent eum corvi de torrentibus, & comedent filij aquilæ. In libro quoque Iesu filij Sirach ita scriptum est: Qui honorat patrem, jocundabitur in filiis, & in die orationis sue exaudiatur. Qui honorat patrem suum, vita vivet longiores & qui obedit patri, refrigerabit matrem. Qui timet Deum, honorat parentes, & quasi dominis serviet his qui se genuerunt. In opere & sermone & omnipatiencia honora patrem tuum, ut supervenias tibi benedictio a Deo, & benedictio illius in novissimo manet. Benedictio patris firmat domos filiorum. Maledictio autem matris eradicat fundamenta. Ne glorieis in contumelia patris tui. Non est enim tibi gloria, sed confusio. Gloria enim hominis ex honore patris sui, & dedecus filii pater sine honore. Fili, suscipe senectam patris tui, & ne contristes eum in vita illius; & si defecerit sensus, veniam da; & ne spernas eum in tua virtute. Eleemosyna enim patris non erit in obliuione. Nam pro peccato maris restituerit tibi bonum, & in iustitia edificabitur tibi. In die tribulationis commemorabitur; sicut in sereno glacie, solventur tua peccata: quia mala fama est qui relinquit patrem, & est maledictus a Deo qui exasperat matrem. Et item: Honora, inquit, Ecclesiastes 7:1 patrem tuum, & gemitus matris tue ne obliviscaris. Memento quoniam nisi per illos natus non fuisses, & retribue illis quomodo & illi tibi. Ad domum vero Rechabitarum loquitur Do-

O o ij

Act. 24.

Levit. 19.

Deut. 21.

Dam. 27.

Act. 1.

Hier. 35.

minus per Hieremiam, ita dicens: *Pro eo quod obediisti precepto Ionaadab patris vestri, & onustodisti omnia mandata ejus, & fecisti universa que praecepit vobis*, propterea hac dicit Dominus Deus Israël: *Non deficit vir de stirpe Ionaadab filij Rechab sicut in conspectu meo cunctis diebus*. In Malachia quoque sic Dominus ait: *Filius honorat patrem, & servus dominum suum*. Si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? Et si ego Dominus sum, ubi est timor meus? Hinc & in evangelio ipsa Veritas ad Pharisæos ait: *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* Nam Deus dixit: *Honora patrem & matrem*. & *Qui male-dixerit patri vel matri, morte moriatur*. *Vos autem dicitur: Quicunque dixerit patri vel matri, Munia quocunque est ex me, tibi proderit, & non honorificabit patrem suum aut matrem suam, & irritum fecisis mandatum Dei propter traditionem vestram*. Et item alibi ad Iudeos ait: *Ego honorifico patrem meum, & vos inhonoriatis me*: Item alibi: *Non veni, inquit, facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me patris*. Paulus quoque in epistola sua ad Ephesios ait: *Fili, obedite parentibus vestris in Domino*. *Hoc enim justum est. Honora patrem tuum, quod est mandatum primum in promissione, ut bene sit tibi, & sis longeius super terram*. Item ad Colossenses: *Fili, inquit, obedite parentibus vestris per omnia*. *Hoc enim placitum est in Domino*. Petrus quoque similiter in epistola sua ammonet, dicens: *Adolescentes, subdisti estote senioribus. Omnes autem invicem humilitatem insinuate: quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*.

*De his qui parentes suos vel maiores contemnendo desciunt.*

### C A P U T I I .

Gen. 9:1

Gen. 22:1

Hier. 4:6

**Q**UANTUM autem displiceat Deo honestatio parentum, exempla illa quæ inveniuntur in divinis libris declarant. Nam cum post diluvium Noë plantasset vineam, & se vino inebriasset, nudatusque jacisset in tabernaculo suo, medius trium filiorum ejus, qui patris sui nuditatem conspiciens inriserat, maledictionem debitam in semine suo perceperat; ceteri vero filii ejus, qui velaverunt obscenitatem parentis, benedictione patris perpetuè sunt remunerati. Sic & ceteris Patriarchis displicuisse reperitur inæqualitas ac feritas morum sobolis suæ, & mansuetudo placita fuisse. Denique de Ismaël primo filiorum Abraham legitur quod homo ferus esset, manusque ejus contra omnes, & manus omnium contra eum, & quod è regione universorum fratrum

suorum figeret tabernacula. Sed in Isaac. *vo-*  
*catum est parenti semen cui benedixit Do-*  
*minus, & pactum suum statuit illi in fœdus*  
*sempiternum & semini ejus post eum, quia*  
*per omnia patris sui obtemperavit voluntati*. *Huic nati sunt duo filii, Esau videlicet*  
*& Iacob: quorum primus erat rufus, & in*  
*morem pellis hispidus; qui adultus factus*  
*est vir gnarus & homo agricola*. *Sequens*  
*autem frater ejus vir erat simplex, habita-*  
*bat in tabernaculis. Vnde & mater eum ma-*  
*ximè diligebat; cui & paterna benedictio*  
*pleniter perveniebat, fratre ejus seniore*  
*propter cupiditatem escæ primogenitorum*  
*honorem perdente. Similiter & pater Iacob*  
*Ioseph filium suum minorem natu super om-*  
*nes filios suos diligebat, quem scriptura*  
*mansuetissimum atque justissimum esse re-*  
*statur, qui patrem suum atque fratres pie-*  
*tate largissima fovebat ac nutriebat. Moyse*  
*igitur, qui constitutus est à Deo dux populi*  
*Israël, & cum Deo loquebatur sicut homo*  
*loquitur ad amicum suum, numquid in mi-*  
*noribus ejus præcipue prædicatur quod ho-*  
*mo fuerit mitissimus ultra omnes homines*  
*qui morabantur in terra, Iesus vero minister*  
*Moysei, quia per omnia fidelis & devotus at-*  
*que obediens fuit domino suo, principatum*  
*populi Israël divino iudicio electus post*  
*Moysem accepit, & feliciter usque ad finem*  
*perduxit. Sic & David, minimus inter fra-*  
*tres suos, ob hoc maximè Deo placuit, & ad*  
*regni culmen pervenit, quia humilitatem,*  
*patientiam, ac mansuetudinem maximè in*  
*minoribus suis servavit. de quo in psalmo*  
*scriptum est: Memento, Domine, David & om-*  
*nis mansuetudinis ejus. Hinc & in Macha-*  
*bæorum libro legitur: David in sua miseri-*  
*cordia consecutus est sedem regni in secula. Ana-*  
*nias, Azarias, Mîsâ'el in fide persistentes li-*  
*berati sunt à flamma. Daniel in sua simplici-*  
*tate ereptus est de ore leonum, & honoribus*  
*sublimatus, factus est in regnis inclitus. Sic*  
*videlicet omnes qui speraverunt in Deum, &*  
*patienter ejus adjutorium præstolabantur,*  
*nequaquam ab eo sunt deserti.*

*Quod regie dignitati honor sit & obedientia ab*  
*omnibus deferenda, contumacia autem super-*  
*borum disciplinâ coercenda.*

### C A P U T I I I .

**Q**UOD autem regiae dignitati honor sit à subditis offerendus, & quod Deo displiceat contumacia subditorum, ostendit scriptura divina tam in sententiis quam etiam in exemplis. Nam in Exodus scriptum est: *Diiis non detrahes, & principi populi tui non*

Prov. 17. maledices. Et in Deuteronomio: *Qui autem, inquit, superbierit, nolens obediere sacerdotis imperio qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto judicis, morietur homo ille, & auferas malum de Israël; cunctusque populus audiens timet, & nullus deinceps intameretur superbia.* Hinc & Samuel Propheta in libro Regum obedientiam ita laudavit, dicens: *Melius est enim obedientia quam vicime, & auscultare magis quam offerre adipem arictum; quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idolatrie, nolle adquiescere.* Vnde in Proverbii scriptum est: *Time Dominum, fili mihi, & Regem, & cum detractoribus ne commisceris;* quoniam repente consurget perditio eorum; & ruinam utriusque quis novit? Et item: *Abominabiles Regi qui agunt impie; quoniam justitia firmatur solium. Voluntas Regum, labia justa. Qui recte loquitur, diligitur.* Denique in evangelio non solum parentes Iesu Regi terreno censem solvebant, sed etiam ipse Dominus pro se Imperatori tributum solvit, atque aliis idem facere praecepit, dicens: *Reddite ergo que sunt Cesaris Caesar, & que sunt Dei Deo.* Sic & apostolica lectio obedientiam majoribus impendere nos docet. Nam Petrus in epistola sua scribit, dicens: *Subiecti igitur estote omni humane creature propter Deum, sive Regi quasi praeclentem, sive ducibus, tamquam ab eo missis ad vindictam malorum, laudem vero honorum.* Et paulo post: *Deum, inquit, timete, Regem honorificate.* Hinc & doctor gentium ad Romanos scribens ait: *Omnibus potestatibus sublimioribus subditi estote. Non est enim potestas nisi a Deo. Quae autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsis fibi damnationem adquirant.* Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. *Vis autem non timerre potestatem?* Bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bono. Si autem malum feceris, time. Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindicta in ira ei qui malum agit. Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim & tributa praefatis. Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum tributum, cui vettigal vettigal, cui timorem timorem, cui honorem honorem. Superbia ergo & sedicio contra Principes suos quantum Deo displiceat ostenditur in actibus Nebroth, qui primus tyrannidem exercuit, de quo scriptum est quod robustus esset venator coram Domino, & in his qui turrem aedificare conati sunt ad indicium superbia sua, quorum Deus linguam confundit & destruxit opera, ita ut dispergerentur ab invicem in universum orbem terrarum, necnon & in factis

Chore, Dathan, & Abiron, qui se elevaverunt & surrexerunt contra Moysen ducem populi, quos inaudito antra judicio Dominus condemnavit, ita ut aperiens terra os suum deglutiaret eos & omnia quæ ad illos pertinebant, descenderuntque viventes in infernum. Horum ergo casum atque ruinam pertimescens David unctus jam Rex, non ausus est levare manum suam contra Saül Regem, sed viris illis qui eum perfuerunt ut Saül quasi sibi traditum in deserto Engaddi vel in deserto Ziph percuteret atque interimeret, respondit dicens: *Propitius sit mihi Dominus ne faciam hanc rem domino meo Christo Domini ut mittam manum meam in eum, quoniam Christus Domini est.* Et item: *Quis, inquit, extendit manum suam in Christum Domini, & innocens erit? Vivit Dominus quia nisi Dominus percuteret eum, aut dies ejus venerit ut moriatur, aut in prelium descendens perierit, propitius sit mihi Dominus ne extendam manum meam in Christum Domini.* Vnde & illum juvenem qui se plaudebat quasi occideret Saül jussit interficere, dicens ad eum: *Quare non timuisti mittere manum tuam ut occides Christum Domini? Sanguis tuus sit super caput tuum.* Os enim tuum locutum est adversum te dicens: *Ego interfeci Christum Domini.* Idcirco liberavit Dominus David, & protegebat eum ab universis hostibus suis, eosque qui insidiabantur animæ ejus tradidit in potestatem ipsius, filium quoque ejus Absalon, qui in superbiam elatus contra patrem seditionem fulcitavit, necnon & tumultuantem Seba filium Bochri in ditionem suam rededit; quatenus cognoverent omnes qui fraudem contra dominos suos iniqui moluntur, quod innocentia justi validior est astutiae malignorum.

Sed hæc licet antiquitus facta veterum prodat historia, tamen hujuscemodi Christianis temporibus non desunt exempla. Nam tyranni qui contra dominos legitimos subita insolentia se exercent, non impuniti evaserant, sed justo iudicio Dei damnati, pœnas condignas luebant. Cuius rei indicia sunt bella famosissima glorioissimi & fidelissimi Imperatoris Theodosij, quæ gessit contra Maximum tyrannum, Gratiani domini sui imperfectorem, fratrisque ejus Valentini de regno expulsorem, quem sola fide major, universa autem apparatus belli comparatione minor, sine dolo & sine controversia Theodosius clausit, cepit, occidit. Similiter & contra Arbogastem atque Eugenium infestissimos tyrannos, qui plurimas tam Romanorum quam etiam barbarorum contraxere copias ad invadendum regnum, & subvertendum Principem: quos

O o iij



Rufinus lib. 2.  
n. 32.

utique Christianissimus Imperator, potentia Dei non fiducia hominis fretus, magis orationibus quam armis subegit. Cui etiam miracula divinitus conlata palam favebant, ita ut turbo ventorum in ora hostium rueret, & spicula ab ipsis missa in se converteret, scuraque incidunt ora eorum pectoraque graviter verberaret. Vnde Eugenius captus atque interfectus est. Arbogastus vero sua se manu perculit. Sic & in Arcadij praedicti Theodosij Imperatoris filij temporibus filiique ipsius Theodosij junioris, Gildo Comes dispiens parvam etatem memorati Theodosij, regnum sibi usurpare tentabat, quem contra Mafcelo frater suus missus est: qui cum recenti cede filiorum suorum, quos Gildo frater ejus dolo circumventos interfecit, turbatus esset, tamen magis in divinum auxilium quam in proprias vires confidens, secum sanctos servos Dei aliquot permotus precibus sumpsit; cum his orationibus jejunos psalmos dies noctesque continuans, sine bello victoriam meruit ac sine cede vindictam. Hoc modo denique cum contra hostium septuaginta milia militum in castris opponeret, sanctus Ambrosius Episcopus Mediolanensis ei per somnum apparere visus est, certisque indicis victoriam presagare. Vnde & confortatus in hostem circumfusum procedit, & cum ad eos qui primi occurrerant pia pacis verba jaeteret, signiferum quandam insolenter obseruentem & jam iamque pugnam excitantem gladio percussit in brachio, etimque manu debilem ipso vulnere coegerit primum inclinare vexillum. Quo viso, reliqua cohortes ditionem jam fieri priorum aestimantes, certatim fese ad Mafcezelem signis tradidere. Vnde conversi barbari, quorum magnam multitudinem Gildo ad bellum deduxerat, defectu militum destituti, in diversa fugerunt. Gildo & ipse fugam molitus, arrepta navi in altum proiectus, ac deinde revocatus in Africam est. Post aliquot autem dies strangulatus interiit. Inveniuntur etiam & his similia in aliorum Imperatorum vel Regum temporibus contigisse. Sed non necesse est coram scientissimis ac rerum omnium peritissimis plura replicare. Tantum haec commemorationis causa posita sufficiant.

*Quod non licet filiis parentes suos de hereditate & possessione propria expellere, aique ab eis aliquid per vim seu fraudem auferre.*

#### C A P U T I V .

**N**ec illud etiam prætereundum est, quod non decet filios, cum heredes

futuri decernuntur, parentes suos de honoribus suis ac possessionibus proturbare; quia nec hoc divina auctoritas neque sanctorum patrum exempla probant atque consentiunt. Legimus ergo quod David Rex iubet Sadoch sacerdoti & Nathan Prophetam ordinarent atque ungerent filium suum Salomonem in Regem super Israël, constituerintque eum super solium suum. Sed tamen non antea scriptum invenitur confortatum esse Salomonem in regno suo nisi post patris obitum. Tunc enim scriptura ita dicit: *Dormivit David cum patribus suis, & sepultus est in civitate David. Salomon autem sedi super thronum David patris sui, & firmatum est regnum ejus nimis.* Sic & ceteri Reges semper post patris obitum successisse in regno patribus suis descripti sunt, licet aliqui eorum filios suos consortes regni præelegerint; sicut Constantinus Imperator tres filios suos Constantium videlicet, Constantium, & Constantem, in diversis orbis partibus Caesares constituit; & Theodosius Arcadium & Honorium participes regni sui esse voluit. Omnes tamen illi patribus suis subditi atque subjecti usque ad finem viræ eorum perseveraverunt: quia nulla lex, sive divina, seu etiam humana, laudat filios per rapinam vel fraudem parentes suos à sedibus suis & possessionibus eicere, sed magis docet ac precipit cum reverentia & humilitate atque condigno obsequio à patribus futuram hereditatem promerendo sperare. Nam & hoc Dominus noster in evangelio docuit discipulos suos, dicens: *Quicunque voluerit fieri inter vos major, erit vester minister; & quicunque voluerit inter vos primus esse, erit omnium servus.* Et ut hoc suo exemplo probaret, subjunxit dicens: *Nam & filius hominis non venit ut ministraretur ei, sed ut ministret, & daret animam suam redemptione pro multis.* Et alibi: *Non est, inquit, discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum. Sufficit discipulo ut sit sicut magister ejus, & servus sicut dominus ejus.* Apostolus quoque humilitatem Christi nobis præcipue commendavit, dicens: *Hoc sentite in vobis quod & in Christo Iesu: qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum, factus obediens patri usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus illum exaltavit, & donavit illi nomen quod est superomne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & inferorum, & omnis lingua confitetur quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.*

*Quod malum avaritiae & cupiditatis maximè detestandum sit.*

## CAPUT V.

**Q**VOD autem abominabilis sit coram Deo qui per avaritiam & cupiditatem terrenarum rerum ius propinquitatis negligit, ostendit Habacuc Propheta, dicens: *Vt qui potum dat amico suo mittens fel suum, & inebrians ut aspiciat nuditatem ejus. Repletus est ignominia pro gloria.* Et item: *Vt, inquit, qui congregat avaritiam in malum domini sue, ut sit in excelso nidorum ejus, & liberari se putat de manu mali. Cogitasti domum tuę confusionem, concidisti populos multos, & peccavit anima tua.* Et iterum: *Vt, ait, qui edificat civitatem in sanguinibus, & preparat urbem in iniuitate.* Hinc & per Salomonem dicitur: *Vir qui festinat ditari, & aliis invidet, ignorat quod egestas superveniet ei.* Nam & in Ecclesiaste scriptum est: *Avaro nihil est scelestius, & nihil est iniuius quam amare pecuniam. Hic enim & animam suam venalem habet, quoniam in vita sua projectit intima sua.*

*De justis judiciis in omnibus rebus & personis observandis.*

## CAPUT VI.

**Q**VOD autem judicia justa in omnibus servanda sint ostendit Dominus in Deuteronomio, ita dicens: *Indices & magistrorum constitutes in omnibus portis tuis quas Dominus Deus tuus dederit tibi per singulas tribus tuas, ut judicent justo iudicio, nec in alteram partem declinet. Non accipies personam nec munera, quia munera excæcant oculos sapientium, & mutant verba iustorum. Iuste quod iustum est persequaris, ut vivas & possideas terram quam Dominus Deus tuus datus es tibi.* Hinc & per Zacharium Prophetam dicitur: *Nolite timerere. Hec sunt ergo verba qua faciatis. Loquimini veritatem & unusquisque cum proximo suo, veritatem & iudicium pacis iudicate in portis vestris, & unusquisque malum contra amicum suum ne cogitet in cordibus vestris, & juramentum mendax ne diligatis.* Omnia enim hac sunt que odiavi, dicit Dominus. Et item: *Iudicate, inquit, iudicium verum, & misericordiam & miserationes facite unusquisque cum fratre suo, & vir fratri suo non cogite malum in corde suo.* Hinc & per Hieremiam dicitur: *Iudicate, inquit, manè iudicium, & eruite vi oppressum de manu calumniantis, ne forè egrediatur ut ignis indignatio mea, & succendat, & non sit qui extinguat propermalitatem studiorum vestrorum.* E contrario autem quam sibi detestabilis sit fraus in jadicando ostendit Dominus per Esaiam,

dicens: *Vt qui condunt leges iniquas, & scribentes injusta scriperunt ut opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent causa humilium populi mei.* Et item: *Vt qui dicitis malum bonum & bonum malum, ponentes tenebras lucem & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce & dulce in amarum.* *Vt qui sapientes esitis in oculis vestris, & coram vobis metipissis prudentes.*

Et alibi: *Vt, inquit, qui profundi esitis corde, ut à Domino abscondatis consilium, quorum sunt in tenebris opera, & dicunt: Quis videt nos, & quis novit nos?*

*Perversa est enim vestra cogitatio.* Et ut ostenderet sperantibus in Deum citò ab ipso provenire solatium, subjungit dicens: *Addent mites in Domino letitiam, & pauperes homines in sancto Israhel exultabunt;*

*quoniam defecit qui prevalebat, consummatas est iniutor, & successi sunt omnes qui vigilabant super iniuitatem, qui peccare faciebant homines in verbo, & arguentem in porta supplantabant, & declinaverunt fructu à iusto.*

Item de iniuitate iudicij ac falsis iudicibus

Dominus loquitur per Ezechiel, dicens:

*Vt qui constiunt pulvillo sub omni cubito manus,*

*& faciunt cervicalia sub capite universæ etatis ad capiendas animas.* Cum caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum. Et violabant me ad populum meum propter pugillum hordei & fragmen panis, ut interficerent animas que non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis.

Et iterum: *Pro eo quod mærere fecisti cor iusti*

*mendaciter, quem ego non contristavi, & confor-*

*tasti manus impy, ut non revertetur à via sua*

*mala & vivebet, propterea vana non videbitis,*

*& divinationes non divinabitis amplius, &*

*cruam populum meum de manu vestra, & scietis*

*quoniam ego Dominus.* Hinc & in Proverbiis

scriptum est: *Qui iustificat impium, & qui con-*

*demnat iustum, abominabilis uterque est apud*

*Deum.*

*Quod omnino de temerariis iudiciis abstinentendum sit.*

## CAPUT VII.

**Q**VOD autem temerarium iudicium vitandum sit ostendit ipsa Veritas in evangelio dicens: *Nolite condemnare, & non condemnabimini. Nolite iudicare, & non iudicabimini.* In quo enim iudicium iudicaveritis iudicabitur de vobis. Hinc & Paulus ait: *Nolite ante tempus iudicare quoadusque veniat Dominus, qui & inluminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Et tunc laus erit unicuique à Deo. Et item: *Tu autem, inquit, quid judicas fratrem tuum?* Omnes enim stabimus ante tribunal Dei. Scriptum est enim: *Vivo ego, dicit Dominus Deus; quoniam mihi sicutetur*

Jes. 8.

Rom. 14

Decret. Iuror. 1.  
cap. 2.Augustin. lib. 1.  
de civit. Dei c. 21.

omne genu, & omnis lingua confitebitur Domino. Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddit Deo. Non ergo amplius invicem judicemus. Sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum. Vnde & Dominus ipse in evangelio, cum adduxissent ante eum Scribae & Pharisai mulierem in adulterio deprehensam, non citò sententiam in eam protulit; sed se prius inclinans, digito scribebat in terra, ut nos doceret discretionis normam in omnibus servare, & non temere aliquid agere. Ergo cum aliquid in iudicio agendum est, debet primùm iudex pensare causam factum, & sic recurrere ad præcepta divinorum librorum; quia non convenit ei aliquid gerere sine documento divinorum testimoniorum, & sine exemplo sanctorum patrum, qui spiritu Dei edociti faciebant quæ Deo placita esse noverant. Qui autem alteri fecerit, damnationem sibi adquirit, cum manifestè Apostolus dicat: *In quo enim alterum iudicas, te ipsum condemnas.*

*De administratoribus secularium iudiciorum quid sentendum sit.*

#### CAPUT VIII.

**D**E NIQUE hinc quidam querendum putant de iudicibus secularibus, cum reos secundum legem puniunt, aut mortis sententia damnant, utrum homicidij criminis obnoxij sint an non. De quo quid sancti patres senserint, palam inveniri potest. Nam in Decretis Innocentij Papa ita scriptum est: *Quæsum est etiam super his qui post baptismum administaverunt, & aut tormenta sola exercuerunt, aut etiam capitalem protulere sententiam. De his nihil legitimus à majoribus diffinitum. Meminerant enim à Deo potestates has fuisse concessas, & propter vindictam noxiorum gladium fuisse permisum, & Dei ministerium esse datum in hujusmodi vindicem. Quomodo igitur reprehenderent factum quod auctore Domino viderent esse concessum? De his ergo ita ut hacenus servatum est, sic habeamus, ne aut disciplinam evertere aut contra auctoritatem Domini venire videamus. Ipsis autem in ratione reddenda gesta sua omnia servabuntur.* Hinc & sanctus Augustinus: *Non autem ipse occidit qui ministerium debet iubenti, sicut administrum gladius utenti. Et ideo nequam contra hoc præceptum fecerunt quo dictum est, Non occides, qui Deo auctore bella gesserunt, aut personam gerentes publice potestatis secundum ejus leges, hoc est, iustissime rationis imperium, sceleratos morte punierant. Et Abraham non solum non est culpatus crudelitatis criminis, verum etiam laudatus est nomine pietatis, quod voluit filium nequam scelerate sed obedienter occidere. Et merito queritur utrum pro iussu Dei*

fit habendum quod Iephate filiam, quæ patri occurrit, occidit, cum id se vovisset immolaturam Deo quod ei redeunti de prælio vicitori primitus occurisset. Nec Samson aliter excusatetur quod se ipsum cum hostibus ruina domus opprescit, nisi quis hoc spiritus latenter iuscerat, qui per illum miracula faciebat. His igitur exceptis quos vel lex iusta generaliter vel ipse fons iustitiae Deus specialiter occidit iubet, quisquis hominem vel se ipsum vel quemlibet occiderit, homicidij crimini incurratur. Beatus quoque Ambrosius exponens sententiam Pauli Apostoli ad Romanos, ubi præcipit potestatibus universis subditos esse, ita dicit: *Hic ergo subiectus est potestati* ad hanc sententiam *qui se terrore Dei ab his abstinet que prohibet. Itaque qui resistit potestati, ordinatione Dei resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem adquirunt. Manifestum est quod unusquisque operibus suis aut justificabitur aut condemnabitur. Qui enim audientes legem peccant, inexcusabiles sunt. Nam qui principiantur, non sunt timori boni operibus, sed malis. Princes hos Reges dicit qui proper regendam vitam & prohibenda adversa creantur, Dei habentes imaginem, ut sub uno sint ceteri. Vis autem non timere potestatem? Bonum facito, & habebis laudem ex illa. Laus ex potestate tunc surgit, cum quis innocens invenitur. Dei enim minister est tibi in bono. Manifestum est ideo rectores datos ne malum fiat. Si enim male feceris, time. Non enim sine causa gladium portat. Hoc est. Ideo comminatur, ut si fuerit contempitus, vindicet. Dei minister vindicta est in ira in eum qui male agit. Quoniam futurum iudicium Deus statuit, & nullum perire vult, hoc in seculo rectores ordinavit, ut terrore interposito hominibus velut pedagogi sint, ne in peccatum incident futuri iudicij. Ideoque subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Recte dicit subiectos esse debere, non solum propter iram, id est, ultionem presentem, (Parte enim ira vindictam) sed & propter futurum iudicium; quia si hic evaserint, illic eos pena expectat ubi accusante ipsa conscientia ponentur. Nam ideo tributa pendit. Ministerium Dei sunt, in hoc ipso servientes. Ideo dicit tributa prestari, vel que dicuntur fiscalia, ut subiectione presentem, per quam sciunt non se esse liberos, sed sub potestate agere que ex Deo est, Princeps enim suo, qui vicem Dei agit, sicut dicit Daniel Propheta. Dei est enim, inquit, regnum, & cui vult dabit illud. Vnde & Dominus, Reddite, ait, que sunt Cœsari Cœsari. Hunc ergo subiendi sunt sicut Deo. Cujus subjectionis probatio hec est, cum illi pendunt tributa. Propterea quoque sanctos patres non invenimus Imperatores, Reges, atque judices hujus seculi, nec in temporibus legis, nec etiam sub gratia novi testamenti, pro hujuscemodi negotiis, cum seditionis armis deprimebant, vel fontes capitali sententia*

tentia plectebant, aut synodali decreto aut Episcoporum iudicio esse condemnatos; quia necesse est ut qui divino non obediunt mandato, acriori coercentur tormento; quatenus lex Dei vim sui juris obtineat, & improborum causa infestatio subvertere non prævaleat; sicut in Antiocheno Concilio diffinitum est ut qui Ecclesiam conturbare vel sollicitare persisterit, tanquam seditus per potestates extereras opprimatur.

*Quod illi qui se peccatores generaliter fatentur, & tamen ab aliis manifeste argui non possunt, nullo modo sunt judicandi atque damnandi.*

## CAPUT IX.

**A**T quia de judiciorum qualitate aliqua jam dicta sunt, nunc requirendum est utrum is qui generaliter se fatetur peccasse, & tamen in aliquo gravi delicto convinci non potest publicè deliquisse, excommunicatione sacerdotali plectendus sit anno; quia inveniuntur plures, non solum de minoribus personis & plebe vulgi, sed etiam de sanctis viris, se peccatores coram Deo pronuntiasse, & inde magis veniam ac gratiam Domini quam offendam promereri. Nam Moyses pro populo orans ad Dominum ait: *Dominus patiens & multa misericordie, auferens iniquitatem & scelera, nullumque innoxium derelinquens, qui visitas peccata patrum in filios & tertiam & quartam generationem, dimitte obsecro peccatum populi tui secundum magnitudinem misericordie tue.* *Dixitque Dominus: Dimisi juxta verbum tuum.* Hinc & Psalmista ad Dominum ait: *Delictum meum cognitum tibi feci, & iniusticias meas non operui. Dixi, pronuntiabo adversum me iniusticias meas Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei.* Et item: *Iniquitatem, ait, meam ego cognosco, & delictum meum contra me est semper. Tibi soli peccavi, & malum coram te feci, ut justificeris in sermonibus tuis & vincas dum judicaris.* Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Ne intres in iudicio cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Hinc & Job dixit: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum? Semine? Nonne tu qui solus es?* Et item: *Astra, inquit, non sunt munda in conspectu Dei. Quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis.* Hinc & per Esaiam dicitur: *Ecce tu iratus es, & peccavimus. In ipsis fuiimus semper, & salvabimur. Facti sumus ut immundus omnes nos, quasi pauperrimi universae justitiae noſtre.* Hinc & per Hieremiam dicitur: *Sic, Domine, quia non est hominis via ejus, nec viri est ut ambulet & dirigat gressus suos.* Et rursum:

*Cognovimus, inquit, Domine, impietas nostras & iniquitates patrum nostrorum, quia peccavimus tibi. Ne nos des in opprobrium propter no-men tuum, neque facias nobis contumeliam. Hinc & Daniel in oratione ita dixit: Peccavimus, iniquitatem fecimus, Domine, in omnem justitiam. Vertatur obsecro ira tua & furor tuus à civitate tua Hierusalem & monte sancto tuo. Propter peccata enim nostra & iniquitates patrum nostrorum Hierusalem & populus tuus in opprobrium sunt omnibus per circuitum nostrum. Neque enim in justificationibus nostris prostrernimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Et paulo post: Cùm adhuc inquit, loquerer & orarem & confiterer peccata mea & peccata populi mei Israël, ecce vir Gabriel, quem videram in visione in principio, cito volans, & tetigit me in tempore sacrificij vespertini, & docuit me, & locutus est mihi. Ecce legislator pro populo peccatore humiles preces offerens, & ad misericordiam justum iudicem interpellando provocans, veniam peccantibus meruit. Sic & Rex atque Psalmista in iniquitatibus se conceptum & in delictis natum comamemorans, profitetur se agnoscere peccatum suum. Et tamen propter hoc regnum non perdidit. Immo justificationem veraciter promeruit, ac sedem regni tam sibi quam filii suis perpetualiter confirmavit. Propterea quoque se peccasse, iniquitatem fecisse simul cum populo pronuntiaverunt; & exaudiiri à Domino citius meruerunt, angelicumque oraculum impetraverunt. *Quis est qui humilem confessionem causam esse justæ damnationis dicere ausus sit; maximè cùm Sapientia manifestè dicat: Qui abscondit secreta sua, non dirigetur. Qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Nam & ipsa Veritas in parabola evangeli publicanum pro peccatis suis humiliter deprecantem Phariseum de propria justitia arroganti suo iudicio prætulit. Et Apostolus Iohannes in epistola sua ita scribit, dicens: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus ut remittat nobis peccata nostra, & mundet nos ab omni iniquitate.**

*Quod falsa justificatio nihil proficit, sed maximè obicit abutentibus ea.*

## CAPUT X.

**D**E falsa enim justificatione quid sentendum sit, mox subjugendo ostendit, dicens: *Si dixerimus quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum, & verbum ejus non est in nobis.* Hinc & in Ecclesiaste

Pp

Ez. 7.

Hab. 2.

scriptum est: *Non te iustifices ante Dominum, quoniam agitor cordis ipse es, & penes Regem noli velle videri sapiens.* Hinc & Dominus arrogantes & duros corde per Hieremiam increpat, dicens: *Quid niteris bonam ostendere viam tuam ad querendam dilectionem, & dixisti, Absque peccato & innocens ego sum, & propterea avertatur furor tuus a me. Ecce ego iudicio contendam tecum, eo quod dixeris, Non peccavi, quia vilis es facta nimis iterans vias tuas. Obriuit Dominus confidentiam tuam, & nihil habebis prosperum.*

*Quod pietas divina veraciter conversis & de preteritis peccatis paenitentiam agentibus perfectam veniam tribuat.*

## C A P U T X I.

**Q**UAM misericors autem sit Dominus super eos qui veraciter se per confessionem & paenitentiam convertunt ad eum, & sperant in misericordia ejus, declarat ipse, per Ezechielem Prophetam dicens: *Iustitia justi superbum erit, & impietas impum erit super eum. Si autem impius egerit paenitentiam ab omnibus peccatis suis que operatus est, & custodierit universa precepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam, vita vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus quas operatus est non recordabor. In iustitia sua quam operatus est vivet. Numquid voluntas mea est mors impum, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur a viis suis, & vivat? Convertimini, & agite paenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Proicite a vobis omnes prevaricationes, & facite vobis cor novum & spiritum novum. Et quare moriamini domus Israël? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus. Revertimini, & vivite.* Eta libi: *Impicias impum non nocibit ei, in quaunque die conversus fuerit ab impietate sua; & justus non poterit vivere in iustitia sua, in quaunque die peccaverit. Eriam si dixerim quod vita vivat, & confissis in iustitia sua fecerit iniquitatem, omnes iustitiae ejus oblationi tradentur, & in iniquitate sua quam operatus est, in ipsa morietur. Sin autem dixerim impio, Morte morieris, & egerit paenitentiam a peccato suo, feceritque iudicium & iustitiam, restitueritque ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vite ambulaverit, nec fecerit quicquam in iustum, vita vivet, & non morietur. Omnia peccata ejus que peccavit non imputabuntur ei. Iudicium & iustitiam fecit, vita vivet.* Ideo Novatiani heretici frustra januam pietatis supernae occludere paenitentibus nituntur, divine misericordiae finum ignorantes, cum non solum prophethica lectio, sed etiam evangelij majestas id ipsum astruat, quod quicunque

pro commissis peccatis dignè paenitentiam gerunt, veniam apud clementissimum judicem peccatorum suorum promerentur. Unde non solum præcursoris Domini vox baptismum paenitentiae in remissionem peccatorum primum prædicando intonuit, sed etiam ipsa Veritas primordium prædicationis sua, ut Matthæus testatur, de paenitentia agenda inchoavit, dicens: *Poenitentiam agite. adpro. Mat. 9. pinquavit enim regnum celorum.* Eta libi: *Venite, inquit, ad me omnes qui laboratis & onerati esis; & ego reficiam vos.* Veraciter enim paenitentibus adpropinquat regnum celorum, quia delentur peccata, & adpropinquat iustitia sempiterna; omnesque qui ad Salvatorem nostrum pia intentione veniunt, de peccatorum onere relevati, æternæ refectionis pabulum in coelestis regni beatitudine percipient.

Exhortatio ad indulgentiam delinquentium.

## C A P U T X I I.

**H**ÆC tu, sacratissime Imperator, & his similia relegens, spernendo iudicia falsa, scias te per fidem rectam & bona facta adiutum regnum coelestis promereri posse. Nec te deterreat nocentium improba vanitas, sed magis confortet evangelica veritas, credens in omnibus Regi & iudici tuo, qui tibi in terra regnum dedit, & in futura vita bene facienti regnum promisit. Et ideo si quid te in hoc scammate belli & valle lacrymarum atque laborum plenissimo perversorum machinatio nocuit, non illud magni pendas; sed ereptori & defensori tuo Domino Christo in omnibus gratias agas, qui mortificat & vivificat, flagellat omnem filium quem vult, & castigat omnem filium quem recipit. Meminerisque illud divina legis, quo scriptum est: *Ne queras ultionem, nec me minoris injurie civium tuorum. Diliges amicum tuum sicut teipsum.* Ego Dominus. Leges meas custodite. Dicaturque tibi simul cum David. *Rege illa mulier sapiens, in Regum, quæ compescuit ipsum David à cede Nabadi stultissimi, ita dicens: Aufer iniquitatem famule tuæ. Faciens enim faciet Dominus tibi dominio meo dominum fidem, quia prælia Domini, Domine mi, tu preliaris. Malitia ergo non inventatur in te omnibus diebus vitæ tuæ. Si enim surrexerit aliquando homo persequens te, & querens animam tuam, erit anima domini mei custodita quasi in fasciculo viventium apud Dominum Deum tuum. Porro anima inimicorum tuorum rotabitur quasi impetu & circulo funde. Cum ergo fecerit tibi Dominus domino meo omniaque locutus est bona de te, & constituerit te ducem super*

*Israël, non erit tibi hoc in singulum & in scrupulum cordis Domino meo quod effuderis sanguinem innoxium aut ipse te ultus fueris.* Hinc & Apostolus ad Romanos taliter loquitur, dicens: *Nolite esse prudentes apud vosmetipos, nulli malum pro malo reddentes, providentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus, si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes, non vosmetipos defendentes, carissimi, sed dat locum ire.* Scriptum est enim: *Mibi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus.* Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum. Si sit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eus. *Noli vinci à malo. Sed vince in bono malum.* De quo & in evangelio ipse Dominus & Salvator noster Petro interroganti quotiens fratri in se peccati dimittere debuisset, si usque septies, sed usque septuagies septies. Et alibi ad discipulos suos ait: *Dimitte, & dimittemini. Date, & dabitur vobis. Mensuram bonam & confertam & coagitatam & superefflucentem dabunt in finum vestram.* Eadem vero mensura qua mensi fueritis remetetur vobis. Et item: *Cum stabitis, inquit, ad vibrationem, dimitte si quid habetis adversus aliquem, ut & pater vester qui in celis est dimittat vobis delicia vestra.* Quod si vos non dimiseritis, nec pater vester qui in celis est remittet vobis peccata vestra. Et ut electos suos pressuram in mundo sustinentes consolaretur, alio loco dicit: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum celorum.* Beati estis cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in celis. Sic enim persecuti sunt Prophetas qui fuerunt ante vos. In patientia vestra possidebitis animas vestras. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Talia ergo nos facere verbis docuit ipse agnus Dei innocens, qui abstulit

peccata mundi, qui tanquam ovis ad occisionem ductus, non aperuit os suum, sed tenatus, inrisus, flagellatus, alapis caesus, consputus, spinis coronatus, & ad extremum in cruce confixus, pro persecutoribus suis exoravit, dicens: *Pater, ignosce illis. Non enim scirent quid faciunt.* Non ergo mirum si homo terrenus & fragilis aliqua adverfa patitur, cum tanta homo celestis & innoxius passus est, ut nos utique sanguine suo à peccatis redimeret, & exemplo longanimitatis ac patientiae sua instrueret atque confortaret.

Recipe igitur, pater mitissime, filium tuum penitentem; ut illius patris clementissimi imitator fias qui filium luxuriosum, in terra aliena totam substantiam suam cum meretricibus dissipantem, novissime ad se penitendo reverum occurrens benignissime suscepit, & non solùm peccata ei indulxit, verum etiam stolam primam illi reddit, anulum in manu dedit, & calciamenta pedibus impendit, largissimumque convivium novissime instruens, chorum & symphoniam cum eo letabundus celebravit: quia si imitator ejus fueris, proculdubio regnum aeternum perpetualiter cum illo possideas.

Hæc quoque dignitati vestrae, serenissime Domine, ego vilis vester homuncio, non quasi sciulus replico, sed quasi devotus famulus ad memoriam reduco; ut quia plurimi vos proximis temporibus injustè leserunt, quidam per malitiam, quidam verò per timorem, & quidam per infirmitatem, vos cogitatis quid maximè Deo placeat & ejus sacris testimoniis præcipue concorderet, illudque devota mente faciatis. Credo enim Deo meo quod vos neque in adversis neque in prosperis unquam dimitteret, sed sua defensione munire, & ab universorum hostium laetatione protectum, ad aeternæ vitae præmia feliciter pervenire concedat.

